

monesq; adolescentes, vt à scopulis eius & deductionibus *eis αιδύνατον* caueant. Interim religiosè Latinus, & prone græculus, scopulum verbi *Impossibilis* cauisti felicius, quam vel vaniloquentiæ, vel in Mathematicis inscitia. Quid enim deductionibus ad Impossibile Archimedæis acutius? Quid quod magis è statu deturbet, præcipitemq; tuum similem proteruum agat? Quòd si ita non est, age magne Geometra, ex his absurdissimis vnum profer in medium: at protulisti aliqua, multa commodiore loco & tempore proferes. ergo hæc eodem loco & tempore refellemus: Nunc quæ protulisti, si memini duo illa sunt; vnum in area circuli, & in proportione circumferentiæ ad diametrum: & deinde alterum prop. 19. de potentia circuli, in area parabolæ. Quibus nihil aliud nunc, nisi verbo tua castigatio reprimenda est; nullum ab Archimede, multa à te pueriliter iis in rebus esse peccata. Quod non vane dici, infra disces. Caueant ergo adolescentes à scopulis, syrtibus, & scyllis, tuorum *αδολογισμῶν*. In Archimede nihil est, quod caueant, alta quidem in illo omnia, sed tuta, sed tranquilla.

SCALIGER in Prolegomenis.

QVARE cum eiusmodi magnitudines pro veris accipimus, quia demonstrare non possumus, (sed solo circino eas deprehendimus) decoquimus nomen nostrum, & frontem perfricamus, aliqua impudenti reductione ad Impossibile nos strenue liberantes. In quo Archimedes adeo creber est, vt non regnum in Geometria ob-
c *tinere,*